



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epitome In Qvatvor Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi**

**Spina, Claudius de**

**Parisiis, 1551**

8. de consequentibus incarnationem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38840**

E P I T O M E

CAP. Quartum. Christus non debet  
dici homo dominicus.

**L**icet autē Christus dicatur homo De<sup>9</sup>,  
non tamen congruē dicitur homo do-  
minicus. Vnde Aug. lib. Retracta. Non  
video vtrum rectē dicatur homo domini- *Lib. 1.*  
cus, qui est mediator Dei & hominū, Chri- *ca. 19.*  
stus Iesus, quum sit vtique Dominus. Et hoc  
quidem vt dicerem apud quosdam legi Ca-  
tholicos tractatores. Sed vbicunque hoc di-  
xi, dixisse me nollem.

*Relinquit Lectori exactius quæ-  
stionem discutiendam.*

Satis diligenter, iuxta diuersorum sen-  
tentiam, supra positam absque assertione &  
præiudicio tractauimus quæstionem. Verū-  
tamen nolo in tanta re tamque ad cogno-  
scendum difficili putare lectorem istam sibi  
debere sufficere nostram disputationem: sed  
legat & alia fortē meliūs considerata, & tra-  
ctata discutiat.

DE CONSEQUENTIBVS

Incarnationem.

DISTINCT. Octauæ

CAP. Primum.

*Persona diuina dicitur nasci  
de Virgine, & non  
natura.*



Videtur tamen posse probari quòd natura diuina nata sit de Virgine: quia si hoc est nasci Deum de Virgine, scilicet hominem assumere in utero Virginis, quum natura diuina superius dicta sit hominem assumpsisse, videtur debere dici nata. De hoc August. lib. de Fid. ad Petrum: Natura, ait, æterna atque diuina non posset temporaliter concipi & nasci ex natura humana, nisi secundum susceptionem veritatis humanæ, veram temporaliter cõceptionem & natiuitatem ineffabilis in se diuinitas accepisset. Sic est Deus æternus veraciter secundum tempus & conceptus & natus ex Virgine. Ista autoritate videtur infirmari, quòd nata diuina sit natura & concepta de Virgine. Sed si diligenter notentur verba, potius de persona agi intelligetur, quæ sine dubitatione & de Patre & de matre nata esse dici debet. Nam natura nõ debet dici nata de Virgine, quum non sit nata de Patre. Quæ enim res non est de patre genita, non videtur de matre nata, ne res aliqua filiationis nomen habeat in humanitate, quæ illud non teneat in diuinitate.

C A P. Secundum. Christus  
natiuitate gemina  
natus est.

Z



**A**ugust. lib. de fid. ad Pet. Pater Deus de sua natura genuit Filium Deū sibi co-æqualem & coæternum. Idem quoque vnigenitus Deus secundò natus est ex patre semel, ex matre semel. Natus est enim de patre Dei verbum, natus est de matre verbum caro factum. ~~Vnus ergo atque idem Filius natus est ante secula, & natus est in seculo:~~ & vtraq; natiuitas vnus est Filij Dei. s. diuina & humana. Hoc idē testatur Io. Damas. cap. 1.  
Li. 3.  
cap. 3.

DE IIS QVAE CONVENIUNT  
naturæ humanæ ratione naturæ  
diuinæ vnitæ.

D I S T I N C T. Nonæ  
C A P. Primum.

*Proposio*

*Vna adoratione adoratur humanitas  
in Christo qua diuinitas.*

*Latria  
dulia.*

*Species du-  
lia. 2.*

**Q**uibusdam videtur quòd non illa adoratione, quæ Latria est, sit Christi humana natura adoranda, sed illa quæ est **Dulia**: cuius duas ponūt species. Est enim cuiusdā modi dulia, quæ creature cui-libet exhiberi potest: & est quædā soli humanitati Christi exhibendā, non alij creaturæ: quia Christi humanitas supra omnē creaturam est veneranda & diligenda: non tamen ad eò vt cultus diuinitati debitus ei exhibeatur: qui in dilectione & sacrificij exhibi-

*f. 108. b. c. 18.*